

De hac altaris participatione
filij tu corporis et sanguinis
spiritus q̄ib⁹ dicitur celesti
prophetam mundum dicere dicit
¶ **M**undum quā dñe famulorum
obligare coram nos pietatis
pro fidei et tristitia in sonno vobis
p̄sis dñe et omnibus in christo quescom
vū iustitiam nos ac vobis ne dilat
et misericordia tua dñe dñe
obligare deum famulorum
et omnes terrenos tuos suos
deinde sicut vocat dñe dñe
deinde tunc p̄equisitum tuum
deinde p̄equisitum tuum. o athia. benigne

60. f. Bd.

D₉

+



3.
DE LAVDIBVS
NOBILIS DN: CHRISTO
PHORI ZITENII.

BALTHASARIS CAMINÆI
ORATIO.



ROSTOCHII

Ex Officina Augustini Ferberi Junioris.

Anno M. D. LXXXVIII.

MAGNIFICO ET
CLARISSIMO DN: FRI-
DERICO HEINIO, I.V.D. SE-
natori & syndico Reip. Rostochiensis, patrono pl. obs.
S. D.

RÆstans vir erat, Friderice
Heini Iurisconsultissime, & reue-
ra nobilis, Christophorus Zite-
nius, frater tuus, amplissimus
reip. Neobrandenburgensis con-
sul. Non enim decus ex imagini-
bus petebat, ut multi, sed genus acceptum à maio-
ribus virtute & sapientia illustrabat. Eum vita
mortali functum, in patria tua, magistratibus &
populo audiente laudaui, quod nec à munere meo
alienum, & dignum amicitia, qua mihi cum illo
fuit, existimabam, & auditoribus, uti præ se fere-
bant, placui. Eam orationem conscripsi deinceps, &
monentibus amicis, edendam typis dedi. Ad te
autem præcipue, quam dixi, orationem mitto, idq;
non una de caussa. Prima omnium, quod fra-
ter tuus ille fuit, tui amantissimus, tibi carissimus,
quo maius in germanis quoq; nihil requiri posset.
Deinde, quod hic eosdem honores gessit, quos item
ex tuis propinquis alij tum consules & senes lauda-
tissi-

tissimi, Jacobus Heinius pater tuus, & sororis tuae
maritus, Hermannus Mundericus, uterque litteris
praediti, & politicis doctrinis instructi, hic etiam in
iure civili non mediocriter versatus. Accedit, quod
censuram tuam hominis doctissimi subire, mihi
honestum duco. Denique, quod ea sunt tua in me me-
rita, ut iure ad te hoc grati in te animi specimen
mittam. Nec dubito, quin saltem studium, in te,
tuos, patriamque tuam, meum, & qui bonique facturus
sis: quod ut facias, te magnopere rogo. Vale.
Kal. Martijs. Anno 1588.

Excellentiatur

obseruantissimus

Balthasar Caminaeus M. rector
schola Neobrandenburgensis.



DE LAUDIBVS
NOBILIS DN: CHRISTO,
PHORI ZITENII.

BALTHASARIS CAMINÆI
ORATIO.

Habita Neobrandenburgi in Megapoli, Anno 1586.
VII. Id: August:

VETERES illos, qui in Græcia florente adhuc vixere, mortales, gentem fuisse omnium politissimam, loquuntur præclaræ ipsorum, quibus quotidie fruimur monumenta, & iam pridem consentientibus multorum, eorundemq; doctissimorum hominum iudicatum est suffragijs. Tullius certè, ipse multiplici vir exultus doctrina, & pænè supra hominem eloquens, fatetur ingenuè, Martios illos Romanos vitæ humanioris cultum, & sapientiae studia, à Gracis accepisse quæ quidem inde rursus ad alias nationes, tanquam fonte uberrimo, diminuarunt. In ceteris autem Græcorum ornamenti, non postremum fuit, quod bono consilio recepta apud eos erat consuetudo, ut anniuersarios conuentus agerent: Pangyres ipsi appellabant: ad quos celebran-

lebrandos vndiq; ex urbibus agrisq; magna homi-
num multitudo confluens: partim ut vel ipsi sece-
currendo, luctando, aurigando, & alijs gymnicis
certaminibus exercerent: partim etiam ut certami-
na musica, præstantiumq; virorum laudes, ut tum
moris erat, à poëtis decantari audirent, & beneme-
ritis de patria honores iustos persolverent, quiq; re-
dè ab illis facta cognoscerent, ea suspicere, admira-
ri, & imitari quoq; disserent. Vim enim habent
ad permouendum exempla maximam, apud eos
præsertim, qui non reprehendenda laudis amore
ducuntur, & ad res magnas quasi facti à natura
videntur. Accerrimos enim concipiunt generosi
animi stimulos, & quasi calcaribus quibusdam
incitantur, cum ea esse vident virtuti præmia,
quorum fructum non ad vitam solum nostram, sed
multa quoq; secula percipere sine inuidia liceat.
Atq; hinc sane est, quod Sallustius Q. Fabium
Maximum, P. Scipionem, & alios viros præclaros
dicere solitos scribit; sibi cum maiorum imagines in-
tuerentur, vehementissimè animum ad virtutem
accendi, memoriaq; rerum ab ijs gestarum eam sibi
in pectore crescere flammam, qua prius sedari ne-
queat, quam virtus eorum famam atq; gloriam
adæquasset. Neq; aliò spectauit statuarum ille
vulgi potissimum oculos perstringens honor, qui

A 3 adeo

adeo apud Græcos florentibus adhuc ipsorum rebus
frequens fuit, ut uni Demetrio Phalereo, quemad-
modum Laertius & Æmilius Probus testantur,
populus Atheniensis æneas trecentas erexerit. Etsi
vero hodie neq; eius generis comitia seu conuentus
celebres, neq; statuarum usus frequentatur: tamen
ex quo etiam sub hoc nostro cœlo studia literarum
coli capta fuere, semper homines docti clarorum vi-
rorum laudibus studuere; & ne nunc quidem, qui
officio rem metiuntur, & non solis opibus, inhiant,
eam humanitatis partem negligunt.

Quin autem illi ipsi recte & Musis dignum
faciant, neminem esse puto qui ambigat. Nomen
certe præstantium virorum, quantum in ipsis est, ab
interitu vindicare student, alios ad recte agendum
spe laudis inuitant, debitumq; virtuti persoluunt
præmium: cuius ea profecto est & dignitas & præ-
stantia, ut non presentem modo suspicere & admirari:
sed si qui ea prædicti ceteris mortalibus præsti-
terint, eos quoq; vita functos amare, colere, & sum-
mis laudibus extollere debeamus. Quæ cum ita
sint, & officij ratio nunc orationem à me flagitet;
dicam aliquid de laudibus viri nobilis, bellica &
togata virtute eximij, Christophori Zitenij, nec
longa & odiosa oratione vos tenebo, tantum sum-
ma sequens rerum fastigia. Omnes enim eius vir-
tutes

tutes persequi, singulas suis coloribus pingere, forte
nec mearum virium sit, neq; huius temporis angu-
stiae patientur. Plerasq; ipsi recordamini, idq;
magis, quod eius consuetudine estis usi diutius.
Mihi namq; breuis illa fuit, sed tamen haud vul-
garis cum illo amicitia. Neq; enim erat contracta
leuiter, & haud lubrico nitebatur fundamento.
Eienim, cum animi prorsus esset aperti & à simula-
tionibus alieni, amabat ille me, ut sui sine furo stu-
diosum & ab ingenuo candore non abhorrentem.
Id vero ego non modo accipiebam lubens, sed &
gratulabar mihi magnopere, qui adeo mirificam
tam prstantis viri fuissim nactus benevolentiam.
Ita namq; (ut liberè me vobis indicem) ab initio
ceperat me eximia qua in illo erat, humanitasne
dicam, an singulari suavitate temperata grauitas?
ut omnibus modis eius mihi expetendam putarem
amicitiam: atq; hac etiamnum tanti apud me est,
ut facere non possim, quin, quamuis ex satis longo
intervallo publicè id teflatum faciam. Maturius
autem id fieri debuisse fateor, sed terrebant me ini-
tio diuersa hominum, qua mihi parata sciebam iu-
dicia, quorum id aliqui, ut ambitiosum, alij alio-
norsum essent interpretaturi. Verum animum
tamen mea mihi addebat conscientia, quod & offi-
cium me in hac re sequisci rem & apud eos dicturus
essem,

essem, quos & quos consilij mei interpretes, & faciles tenuis stili exissimatores fore confiderem; quorum illud si vobis probauero, de hoc non ero admodum sollicitus, præsertim cum res ipsa, suam satis tucatur auctoritatem, & orationis præstantia quemadmodum ad Imperatorem Arcadium Syne-sius scribit, veritate estimari soleat, quæ à quocunq; tandem proficiatur, pondus apud bonos inuenire merito debet. Oratione igitur quæ dicturus sum, persequar simplice, nuda & cana illa contentus veritate, contra quam neq; Christophorus ipse laudes sibi fingi velit, neq; ego hac in re cuiusquam gratia quid largiri debeam; ut ab adulatoribus fieri videntur, qui cum omnia ad quæcumque gratiam potentum referant, linguam venalem habent, & mercenariam laudem etiam male nota hominibus tribuunt. Laudamus autem homines, ut cum sapientibus loquamur, ob ea potissimum, quæ in nobis, & propriè nostra sunt, animi verè appellata bona, quæ nec fluctus mergere, nec ignis delere, nec hostis nisi cum vita eripere potest: immo quæ post mortem demum, cessante iam hominum inuidia, enitere & clariora fieri solent. Ab fortunæ vero bonis qui instructi sunt copiosus, eos qui verè iudicant, non laudare, sed dunt axat felices prædicare solent, ut pote quos vel natura ortu clariore honestarit, vel quibus

quibus cæca illa diua plura tribuerit; organica illi
appellant; quod sint quasi vita quadam instrumen-
ta, & rerum gerendarum nerui, quibus quis, ut
gladio acripi, recte ac secus uti potest. De priore
honorum genere, quod in hoc nostro summa fuerint,
dicam potissimum: neq; tamen posteriora, quæ non
minus abundè, ei contigerant, quando ijs egregie
sancteq; usus fuit, silentio præteribo. Nam &
opibus pollebat, quas bellica præsertim virtute pa-
rauerat, & maiorum imaginibus nobilis: ac pa-
tria erat clarus. Etsi enim hæ regiones ad boream
cum florentiss. Europæ prouincijs Gallia, Italia,
Hispania, collata, splendorem et ornamenta, quibus
illæ excultæ sunt, neutiquam assequuntur; tamen
& in hac ultima Germaniæ ora reperias, non mo-
do quæ visu & memoratu digna sint, sed & prædi-
cationem non vulgarem mereantur. Namq; ut
iam nihil dicam de luce purioris ac diuinitus nobis
patefactæ doctrinæ, quæ vel sola dignitatem horum
locorum præstare possit, florent in ducatu Mega-
polensi, profligata iam prisca illa Vandalorum, qui
primi huius regionis incolæ fuerunt barbari, ac
crassis ignorantia discussis tenebris, studia littera-
rum; ut et hoc nomine ad exteras quoq; nationes fa-
ma penetrarit. Nota enim hodie est passim Rostochia
næ Academia & celeritas, ad quam ex longinquis re-

B gioni-

gionibus suos multi mittunt liberos, sumptu aliquo,
sed longe maiore, modo ipsi, qui ad mercatum optimarum artium istuc proficiscuntur, velint, fructu.
Nam & legibus bonis seuerisq; optimè conformata est, & viris doctis, qui iuuentutem suo quisq; loco erudire egregiè possint, ita copiose instructa, ut vel hoc nomine in ea minimum desiderare queas.
Nam præter Dauidem Chytraum, Theologum nostri seculi summum, cuius fama toto orbe Christiano est notissima, ceterosq; complures eius loci, & ipsos quoque celeberrimos diuinorum oraculorum interpres Simonem Paulum, Lucam Bacmeisterum, Valentimum Schächtum, qui iampridem ibi scriptis ac voce non iuuentutem modo literariam, sed & Ecclesiam feliciter & magna fide erudiunt: præter inquam eos, primo ibi loco bonas literas docet clarissimis viris carissimus, nec ipse obscurus Johannes Caselius: qui sibi graue duceret, à me laudari, uno ex primis familiaribus. Quin ipse quoque intelligo, mihi conuenire, ut hic sim parcior, ne amicitia & meritis plus, quam veritati, videar tribuer. Præterire etiam hoc loco non possum, sumum Academiæ Megapolitanæ ornamentum, doctrina & virtute clarissimum virum, D. Hinrichum Bruckum: quem Chironemnè potius alterum, an vero Atlantem appelles, dubitare merito possis.

Jn



In medicina certè nihil eo felicius, nihil in mathe-
maticis acutius, nihil in vniuersa philosophia do-
ctius. Et mirantur ingenium eius acre, linguamq;
promptam, quotquot eum audiunt, non sine silentio.
De altero autem illo Chytræo, ipso quoq;
clarissimo
Musarum antistite, quid dicam? cum operosa et lu-
culenta ipsius in manibus omnium scripta sint. In
carmine certè condendo nihil eo felicius, limatus,
tersius; adeo quidem, ut poeta vocari iure merear-
tur. Dicere hoc loco possem, & quia hunc campum
ingressus sum, forte etiam deberem, de reliquis le-
gum ac medicinæ aliarumq;
disciplinarum docto-
ribus celeberrimis: sed si omnes percensere, &
debitum cuiq;
tribuere elogium velim, & dies me defi-
ciat, & vestra abuti videar patientia. Ad insti-
tutum ergo orationis filum reuertemur. Quem-
admodum ergo post cœlestis doctrinæ puritatem,
primum est horum locorum decus literarum cultus:
ita hunc proximè sequitur, siue potius ex eo profluit
veneranda illa, in qua Plato ciuium salutem ponit,
euouia, quæ seueris arclissimisq;
singulorum officiæ
limitibus circumscribit. Neque enim illa hoc no-
strum cœlum refugit aut auersatur, quando Ro-
manis passim legibus utimur, & si quæ ciuitati aut
locis quibusdam peculiares sint, mirifice cum illis
consentiant, siue ex illis, vel potius è diuinis naturæ

B 2 legi-



legibus, velut quodam' seano, promanant. Poteram hoc loco de oppidorum, & hominum in ijs frequentia, de telluris fæcunditate, portuum & emporiorum commoditate, opibus maritimis, lacuum, fluminumq; piscositate, siluis amplis, fontibus salis & alijs copiose dicere, nisi vos ea, quæ magis Christophori propria sunt, recognoscere malle intelligerem. Megapolitanus igitur ille erat, natusq; hic Brandenburgi oppido Stargardia, quæ regio ante nostra tempora multis retro annis peculiarem habuit à Stargardia nominatum principem ad annum usq; Christi 1471. Quo tempore Ulricus Stargardia Dux, princeps grauis & magnanimus, cum sine mascula prole (duas enim solummodo filias reliquerat, quarum altera collegio virginum in Rhena præfuit, altera nupsit Erewino comiti Bentheimio) in ipso etatis flore decessisset, recidit ditionis hereditas ex pacto ad Hinricum Megapolensem Grassum cognominatum. Iampridem enim inter principes illos conuenerat, ut vtra stirps prior deficeret, suam superstiti regionem relinqueret: & hinc quoq; duces Stargardia Megapolensium titulum tum usurpabant.

Paternum porro genus Christophoro erat ex comitatu Ruppinensi, qui nunc cessit in ditionem Marchionis Brandenburgici, Imperij Septemuirii, mor-

mortuo W^{ich}manno, Comite eius stirpis ultimo.
Christophori namq_z aius Eggerhardus Zitenius
Ioannis Zitenij ex Groebiniæ gentis uxore filius,
cum paternum fundum ~~ωλυκοισαν~~ premi & quo ani-
mo pati non posset, in aulam ducum Megapolen-
sium Magni & Balthasaris se contulit. Hi pru-
dentiam fidem Zitenij illius in grauissimis negotijs
experti, deinceps eius consilio multum ac libenter usi
sunt, atq_z ei deniq_z ob industriā præfecturas aliquot
demandarunt. In ceteris namq_z arcii Wittenbur-
gicæ eum præfecere. Tandem tamen cum mole-
stiarum, quæ in eiusmodi muneribus & multæ &
variae occurrunt, pertæsus esset, in hoc sese oppidum
contulit; & uxore ducta, in ordinem primum Se-
natorium adlectus, mox consul summa ciuium vo-
luntate creatus est; quem ille honorem ita gessit,
ut adhuc apud omnes bene audiat, & desiderabilis
quoq_z eius sit apud illos memoria, qui ex aliorum
sermone tantum summam viri integritatem acce-
pere. Eius filius fuit Eustacbius Zitenius, qui
ipse quoq_z hic senatoriam adeptus dignitatem, ad
maiora evectus fuisset, nisi mors eum præuenisset.
Uxorem habuit feminam optimam & honesto hinc
loco natam Caharinam Richardiam, quæ postea
secundas nuptias contraxit cum Iacobo Heinio
prudentiss. olim huius Reipub. consule, patre dn.

B 3 D. Fri-

D. Friderici Heinij humanissimi & doctissimi vi-
ri Iurisconsulti longè celeberrimi, qui cum plures
annos docuisset ius Romanum in Academia Ro-
stochiensi, fuisse tamen ab intimis consilijs Illmo. Duci
Ioanni Alberto, deinceps syndicatum eiusdem ci-
tatis gerens, adscitus quoque fuit in ordinem senato-
rium, quem hodie summa cum dignitate iuetur.
Ex ea Eustachius susceperebat liberos aliquot, &
in ijs Christophorum hunc nostrum, in quo ad-
modum adhuc puerο singularem luxisse indo-
lem accepimus, ut non modo à maiorum virtute
non degeneratus, sed cum Diomede Homerico
hanc aliquando vocem honeste usurpaturus vide-
retur: ἡμεῖς τοι πατέρων μέγ' ἀμείνονες εὐχόμεθ' εἶναι. Neque
sane opinione falsi fuere, qui ita de ipso existima-
runt. Statim enim cum à preceptorе Ioanne Cul-
rado sene quemadmodum prædicatur, & ut secula
illa erant, satis docto simplice & bono, Christianæ
religionis capita & prima illa latīna lingua rudi-
menta didicisset, in aulam cordatissimi & optimi
principis Ioannis Alberti pia memoria vocatus, &
in cubiculariorum adolescentum numerum rece-
ptus est: in quo munere ita se gesseit, ut & equalibus
aprimè carus esset, & in summa apud principem
gratia. Non erat in adolescente leuitatis nota,
contra in gestu & sermone grauitas, in actionibus

con-

constantia: que omnia facile ipsi plurimorum benevolentiam ac fauorem conciliabant. Quin etiam augusta illa, & vulgarem hominum sortem excedens statura proceritas amplitudoq; iam tum ornamento haud vulgari ei fuisse commemoratur. Etsi enim in magnitudine, ut philosopho placuit, perse prstantia non sit, sed magnitudo in cuiusque rei prstantia, tamen quod & magnum sit & prstantans quoq;, hoc reuera maximum, venerabile & in pretio apud omnes esse necesse est. id quod de Christophoro & statura eius affirmari non falso poterat. Quemadmodum autem Achilles, cum inter Lycomedis regis Scyri filias, habitu muliebri calaretur, ne ad Troiam, à qua eum non reuersum infatis erat, proficisci necesse haberet, Martium tamen suum animum tegere, & vehementes illos impetus reprimere non potuit: quin, quoties armorum aliquid vidisset, vel hastam validè contorqueret, vel districtum ensim quasi pugnaturus rotaret: ita quoq; noster hic & corporis viribus pol lens, & accerrimi generosa natura excitatus stimulis, mature caput exercenda fortitudinis quarere materiam. Est enim Germanorum & prser tim equitum Saxoniorum, hæc non postrema laus, quod inde usq; ab initio cum primis gentibus habiti sunt fortes & strenui; adeo ut ipsorum opera alij

alij populi cupidè vitantur, & firmissimum sibi in
ijs præsidium positum esse existiment. Militant
tamen non solum equestri loconati, sed etiam ciues,
& media plebe quamplurimi: hi ut se vel ex rei
familiaris explicit angustijs: illi, quod hoc & sese
dignum, & cum primis sui munieris esse existiment.
Certè enim voluerunt hunc ordinem, qui primi
eius auctores extitere principes, veluti munimen-
tum quoddam esse aduersus omnes hostium irru-
ptiones, quos non tam vallo fossaq; arceri, quam
militum robore & industria credebant. Et est sa-
nè, quemadmodum vere in Persis sublimis ille pro-
nunciauit Tragicus, firmissimum ubi viri sunt
propugnaculum: firmius vero id ipsum si ijdem
bello sint quam exercitatissimi, & in armis quasi
enutriti. Itaq; cum & Christophorus tum iue-
nis scientiæ ac gloriæ militaris cupiditate arderet,
clarissimorum principum tubas ac castra sequi cœ-
pit. Primum autem tirocinium ad Oenipontem
edidit, quam urbem tum Elector Mauritius &
Georgius Megapolitanus magnanimi & bellicosi
principes communi Marte adoriebantur. Inde
una ad obsidionem Francofurti ad Mœnum pro-
fectus est, in qua Dux Georgius, princeps Megapo-
litanus, ducis Alberti filius, heros egregius, animosi-
tati nimium indulgens, tormenti globo ictus perijt,

anno

anno supra millesimum Et quingentesimum 52.
quo tempore Albertus Brandenburgicus Episcopis
ad Rhenum, Moguntino, Treuirensi, Bambergensi,
Wirceburgico, Spirensi Et alijs bellum hinc inde
faciebat. Ardebat enim tunc ciuili incendio, u-
niuersa pñè Germania. Cum vero dux Geor-
gius perijset, eiusq; milites dissiparentur, Christo-
phorus statim sub signa Volradi comitis Mans-
feldici, qui tum Hinricum Brunsuicensem, ipsum
quoq; principem bellicosum acerrime oppugnabat,
se contulit. Finito illo quoq; bello, rursum equi-
tibus Ioannis Alberti, quos tum Sebastianus Wakenitus
ducebat, adscriptus est; non minus ibi boni
ciuis, quam cordati militis fungens officio. Cum
enim forte copiæ illæ in quibus ipse erat, quodam
tempore Malchino Brandenburgum versus mouis-
sent, ipseq; metueret, ne quid de oppido, quod tamen
tum factum non fuit, consuleretur grauius, cum suis
in vicino cœnobio Broda, voluntate magistri equi-
tum substituit. Nam neq; locum inscio illo deserere
honestè poterat, neq; patriam matrem omnium san-
ctissimam impiè sibi violandam putabat. Intelli-
gebat enim, nihil magis ab officio boni esse alienum,
quam ei, cui, ut sapientes docent, non postremam
ortus nostri partem debemus, vim aut iniuriam
aliquam inferre. Secus hodiè faciunt multi, qui præ-

C posteræ



postera quadam lucri cupiditate manus impias
etiam cum hostibus imperij coniungunt. Atque
bellis hisce militibus debemus scilicet, quod, milita-
ris Germanorum disciplina, & peculiariter ab ipsis
inuenta armorum genera, paulatim ad gentes bar-
baras transferuntur, magno cum plurimorum &
pessimo quoq; publico. Sed queri ea de re intelligen-
tes possint facilius, quam parricidis persuadere, ut
ab officio non discedant. Sed ad rem reuertendum
est. Cum ergo sedata illa esset, quæ tum inter prin-
cipes Megapolenses erat commotiuncula, & Ele-
ctor Mauritus magna auctoritatis & fortitudi-
nis princeps, aduersus capitem illum Christiani
nominis hostem, qui tum ceruicibus & libertati
Germaniae imminebat, expeditionem susciperet,
ipse quoq; una militatum in Ungariam abiit, dex-
tra sibi & rem simul & gloriam pariens.

Neq; enim amplius ut gregarius aliquis eques
erat, sed iam tum ordines ducere incipiebat. Etenim,
cum à natura multis egregijs esset ornatus dotibus,
& ad has iam usus & experientia accederet, eam
de se apud belli duces concitauerat consilij & forti-
tudinis opinionem, ut & de summa rerum cupidè
cum eo conferrent, & industria ac strenuitati eius
nihil non committendum putarent. Ad quæcun-
que ergo castra venisset, facile plurimum sibi & di-
gnita-

gnitatis & honoris inueniebat. Fingit enim vir-
tus fortunam, & ipsa sibi, ut Synesius inquit, pro-
speritatis causa est: cuius rei exempla non queritis,
& proferre esset facile. Ex Pannonia domum
reuersus in Galliam concessit, ubi tum in maximis
istis regni illius motibus egregia eius fuit opera, ut
& ob virtutem praefecti equitum legatus factus sit.
Eodem functus est munere cum secundo in Gallia
militaret. Tandem cum laborum belli, quos graui-
simos esse apud omnes constat, pertulit esset, annisq;
& corpore, fieret grauior, otio sepe priuato addixit:
quamvis illi otioso esse non admodum diu licuerit.
Statim enim in operosum, sed fructuosum tamen
patria coniectus est negotium; iniuitus ille quidem,
sed ita tamen, ut qui sciret, & huius viro bono non
esse declinandam procurationem, si præsertim ita
vñus postulet, & quis eum cum optimo publico, lau-
de propria, ac suorum ornamento obire possit; id
quod in proclivi Christophoro erat. In ordinem ergo
Senatorium magno omnium applausu primum
adscitus, mox vniuersis approbantibus CON-
SVL huius Reipub. declaratus est anno 1578.
quem quidem locum ita perpetuo est tutatus, ut fa-
cile appareret, quo animo ad Rempub. accessisset;
non inani quadam ambitione ut multi, quos popu-
laris honoris stimulat aviditas; neq; sui spe com-

C 2 mo-

modi, quod respiciunt, fuci Rerum pub. sed nuda & sola benemerendi de multis voluntate. Cumq; hoc animo perpetuò esset, facile multos sui studiosos & amatores inueniebat: præterquam quod alias ijs instructus erat dotibus, quæ in viro politico confpici & cum primis lucere debent. Requirunt autem sapientes in bono Reipub. moderatore, ut omnes munieris sui partes rectè intelligantur, politiarum formas cognitas habeant, bonas à vitiis dignoscant, quæ quibus constituantur ac dissoluantur sciat. Prorsus enim virum politicum, siue doctrinam, siue longo rerum usu, nosse oportet, quid, quando, quo loco, apud quos, quo pacto, & quam obrem dicendum, statuendum, faciendum ne sit: quid pace, quid bello, quid in otio, quid in negotio, quid domi, quid foris fieri oporteat: quid inueniatur, quid seni, quid & equalibus, quid subditis, quid amico, quid inimico tribuendum sit. Deniq; architectus quidam esse debet salutis omnium, & totum ciuitatis corpus animo complecti, & formare. Verum hac tamen sola sibi ad rectè tenendum imperij clavum non sufficit scientia, sed famula atq; administratrix opus habet eloquentia, quæ huius architectricis interpres est, & quedam internuncia: quamuis ea ipsa suis interdum limitibus egressa, ipsius dominus & solium ambitiose concendat. Secunda

da itaq; politici viri virtus est, ut quæ vel ipse in
vſus publicos consilia inuenierit, vel ab alijs recte
tradita acceperit, ea possit oratione, si non prorsus
exquisita, saltem non indiserta, aut omnino ieunda
explicare, cumq; auctoritate quos velit in senten-
tiam suam perducere posset. Ceterum et si quis que-
ad Remp. pertinent preclarè intelligat: oratione
præterea quoties opus est diserta uti possit: tamen
neq; sic politici, de quo dicimus, personam sustinere
queat; nisi idem etiam sit amans patriæ, & sanctā
illam nutriculam ea complectatur pietate, ut non
modo rem priuatam & quantumuis magna com-
moda præ illius caritate negligere, sed & vitam,
si opus sit, pro salute eius profundere non dubitet:
quo qui animo sit; is si vſus postulet, quovis tempo-
re, loco, & aduersus quosvis, qui vim illi allaturi
sint, consultabit, dicet, faciet: nullas deniq; cuius-
quam refugiet inimicitias: modo et sic patriæ salu-
tem redimere ac tueri possit. Hinc in omnium ad-
huc ore est nobilis illa Epaminonda Thebani vox,
ad quem cum aliquando Diomedon Artaxerxis
regis Persici legatus venisset, magnamq; vim auri
offerens integritatem eius expugnare conaretur:
Nihile est, inquit, opus pecunia. Nam si ea rex
vult, quæ Thæbanis sunt utilia, gratis facere sum
paratus: sin autem contraria, non habet auri
atqe

atq; argenti satis. Namq; ego orbis terrarum di-
uitias accipere nolim pr& patriæ caritate. Addi-
ditq; paucis interiectis : Te, qui me incognitum
tentasti tuiq; similem existimasti, non miror, tibi
ignosco : Sed egredere propere, ne alios corrumpas,
cum me non potueris. De M. Tullio longum
foret, si dicere coner. Is enim eo fuit in patriam,
quamvis multis modis erga ipsum ingratam, amo-
re, ut inimici quoq; illius testari id ipsum sint soliti.
Cum enim aliquando adolescens quidam Roma-
nus aliquid forte librorum Ciceronis gestaret, &
viso Augusto, quem inimicum ei sciret, codicem in
sinum reconderet, animaduertens id Augustus,
confide ait: & librum è sinu eius prolatum inspi-
ciens, iterumq; clausum iuueni restituens: Elo-
quens ait, hic vir erat, & amans patriæ. Omnes
vero has quas dixi, politi viri virtutes, pecunia
fædat & euertit insana cupiditas. Oportet itaque
eum, qui in puppi gubernaculum dirigit, cauere, ne
lucro pareat, patiaturne sibi auri fulgore oculos
prestringi, ut à recto iustitiæ tramite deflectat, aut
alioquin rem pub. questui habeat: qua clade hodie
omnia fere regna & politi laborant, dum, qui era-
rij opes augere & rem pub. sartam tectam præstare
debebant, omnia domum suam conuerrunt, parum
interim solliciti, quam bene constitutum posteris im-
perium

perium relinquant; quāne ipsi siue fama sint, siue
conscientia: quarum hac tamen attendenda fuerat
potissimum, utpote quae falli nunquam potest, cum
fama indignissimis saepe gloriam vendicet. In
Christophoro autem, ut scitis, haec ipsa politici viri
virtutes, atque adeo quidem eximiae, ut quam in eo
potissimum mirareris, non facile statueres. Ad
rempub. sane quae spectant egregie callebat, eamque
moderari recte poterat. In consilijs ea erat sagaci-
tate & perspicacia, ut etiam, quae tu difficilima pu-
tares, explicaret facile & sine negotio. Nam & de
presentibus, ut Thucydides loquitur, verissime in-
dicabat, & defuturis prudentissime coniiciebat:
quod fiebat etiam, ut si quares deliberanda incide-
ret grauior, alij cupide sententiam eius audirent,
& auditam sequerentur, utpote ex prudenti profe-
ctam animo, & a qua non abesset sincera, quam
in multis, desideres, benevolentia. Perpetuo autem
in ore habebat & re ipsa exercebat quoque, tam a
Gracis quam Latinis auctoribus celebratum ver-
bum quo, quae facienda sunt diu apud animum ex-
pendere & maturo consilio satis liberata celeri-
ter perficere, iubemur. Sic enim Aristoteles in Ethicis:
ταῦτην μὲν δὴ τὰ βολευθέντα ταχὺ, βολεύεις δὲ βολεῖσθαι.
Id quod Sallustius in Catilinaria sic expressit:
Prinsquam incipias consulto, ubi consulueris ma-
ture

turè facto opus est. Nihil ergo Zitenius temere, nihil præcipitanter agebat, sed & in consilio capiendo circumspiculus, & in capto exequendo acer erat ipsem, & alios esse volebat. Apud collegas auctoritate valebat plurimum, & maxima erat apud populum gratia. Filios humanitate & officijs capiebat, hunc consilio quo vellet (volebat autem, non nisi ad optima) ducere solebat. Nouerat enim, quod paucis datum est, inconstantem illam & multorum capitum beluam ita tractare, ut & egregiè illi carus esset, et ipsa eum tamen reuereretur maximè. Neq; vero domi solum tanta eius erat existimatio, sed & passim inter & quales suos viros nobiles primæ ipsi partes deferebantur; adeo, ut si qua inter eos lis exorta fuisset grauior, hunc sibi ab illustrissimo principe arbitrum & disceptatorem causæ dari peterent. Cum enim moderato admodum esset animo, & gratia atq; auctoritate plurimum valeret, & quis litem conditionibus dirimere poterat, animosq; distractos in pristinam reducere gratiam: qua in re plus sèpe momenti est positum, quam etiam in exquisita iuris scientia. Etenim utut hæc per se bona & utilis sit, tamen si quid forte leges alterutri parti, quod fieri omnino oportet, ubi duo litigant, adimant, in mutua homines magis exardescunt odia; cum contra qui gratia rem transi-

transigit, sanet quidquid est vulnerum, suspicio-
nis ac malevolentiae. Huius rei artifex erat egre-
gius, neq; minus diserta oratione uti valebat. Po-
terat enim de re quam intelligeret, non solum pru-
denter, ut homo longo usu rerum edocitus, sed &
perspicue, ornate & cum dignitate quadam dicere,
naturalieum non destituente facundia. Itaq; quo-
ties & apud quos verba ficeret, omnium in se con-
uertebat oculos auresq;. Et quamvis eius sic satis
neruorum haberet oratio, ubi praesertim de grauibus
diceret rebus, tamen etiam heroica illa, vultus gra-
uitas, vocis constantia, suauitas pronunciationis,
temperatus oculorum totiusq; corporis motus, pluri-
num eius orationi dignitatis addebat. Ingenio au-
tem cum valeret plurimum & celeres essent animi
ipsius motus, iocos promptissime & crebro mouebat,
non tamen spurcos, quod scurrarum est, neq; cum
aliorum coniunctos iniuria, sed elegantes, subtile,
facetos, qui non modo neminem contumeliose lade-
rent, sed singulari quoq; voluptate audientes per-
funderent. Debent enim, ut sapientum quidam
dixit, ioci non esse similes caninis, sed ouicularum
morsibus. Intelligebat hoc ut homo bene moratus
Zitenius: & ut eiusmodi lepidis & concinnis sa-
libus mirum in modum delectabatur, ita a malig-
nisi et dentatis, de quibus dixi iocis in uniuersum

D absti-

abstinebat: quæcum vobis omnibus notissima sint;
longior hic nō ero. Patriam porro suam ex sapientia
præcepto eo prosequebatur amore, ut ne liberi quidē
matrem maiori studio & diligentia colere possint.
Id vero vel hinc patebat maxime, quod iura & pri-
uilegia constanter tuebatur ciuitatis, neq; sibi ab ijs,
qua à maioribus recte tradita accepisset, latum un-
guem discedendū putabat: quo nomine etiam eorum
qui premendis et conculcandis ciuitatibus principiis
gratiam querunt, inuidiam, quam tamen ille tanti
non faciebat, effugere non potuit. Inuentum tene-
ram & in usus Reipub. succrescentem recte institui
volebat, ~~non tetrica~~ ~~olla~~ & morosa, ed educari li-
beraliter. Probabat autem cum primis ea de re
Comici iudicium, qui pudore & liberalitate pueros
in officio continere, satius esse autumat, quam alieno
metu; immo toto eos cœlo errare dicit, qui imperium
grauius aut stabilius esse credunt, vi quod fit quam
quod amicitia adiungitur: quandoquidem malo
coactus qui suum officium facit, dum id rescitum iri
credit (ut ar enim poetæ verbis) tantisper cauet: Si
sperat fore clam, rursus ad ingenium reddit. Contrà,
quem beneficio adiungas, ille ex animo facit, studet
par referre: deniq; hoc operam dat, ut præsens ab-
sens idem sit. Quis enim nisi plane seruili ingenio
natus, verberibus potius, quam ratione & gratia
ad

ad officium adigi malit. Itaque recte sane Fabius
ille Maximus absurdum esse putauit, si, qui equos
aut canes tractant, cura, consuetudine, & nutrica-
tione potius, quam flagellis aut catenis feritatem,
ac rabiem bestiarum mitigant; at qui hominibus
prefectus sit non gratia & mansuetudine ut pluri-
mum correctionem instituat; verum multo agat
cum illis asperius, magisq; violentè, quam cum fi-
cubus, pirus & oleis silvestribus agricola, qui tran-
spositionis & insitionis cura, eas in veras & oleas,
& piros, & ficus mansuefacere & cicurare solent.
Idem inquam erat Zitenij de formanda pueritia
iudicium sanū illud quidem: et si forte hoc non & què
omnes probent. Sunt enim qui vel ipsi aliter educati,
vel in alijs educandis diuersam raticnē secuti sint,
qui in illa semel concepta, pñè dixerim adnata
ipfis opinione non solum perseverant ipfimet, sed &
alijs sequendam obtrudunt; adeo quidem, ut si quis
rationes contra adferat, statim illi disciplinam tolli,
nequitiæ fenestram aperiri clamitent, & si qua præ-
terea sunt, quæ specioso aures implet strepitū. Ve-
rum hos ille non morabatur, uti neq; audiendos esse
censem, qui vere iudicant. Nunquid ergo ἀναγωγια
inquieret, & laxam illam probabat licentiam? Mi-
nime vero. Disciplinam enim non modo non ab-
ijciendam, sed utraq; manu tenendam censebat:

Verum ingenuam & liberalem: Liberalem autem intellige, quae neq; ad delicta adolescentia, quae varia sunt, coniueat, aut dissimulando ijs fomitem addat; neq; in corripiendo morosa aut crudelis existat. Aliud enim est cum moderatione coniuncta severitas, aliud truculentia & plagositas, quod qui non intelligit, tantum abest, ut vere hic iudicet, ut nihil potius indicare existimandus sit. Longior forte in his sum, quam necesse erat; exponendum tamen utiq; fuit, quam Zitenius noster in re tam necessaria & in qua, si recte administretur, non postrema Reipub. felicitas consistit, solicitus fuerit. quo & illud spectat, quod cum prudentiss. huius oppidi senatus de noua & commodiore schola instauranda deliberaret, & aream hanc, una cum horto, qui adiacet amplissimo, are publico emptam, usui isti dicare statuisset, ipse cum primis consilium illud adiunxit, & ne quid rem tanti momenti impediret, ultiro & liberaliter de suis facultatibus, summam non contemnendam contulit, semperq; auctor fuit, ut qui iuuentutem recte erudire possent, conducerentur, & conducti haberentur, non ut passim fit, sordide, sed quantum eius fieri posset liberalissime: Intelligebat enim, quantum virtus ea si contrahatur splendoris amittat, quamq; publicè profit, ut qui puerorum animos cum laude expoliunt, mercede honesta, debitaq;

taqz grauissimorum laborum compensatione ad
deuorandas eas molestias inuitentur. Sed venia-
mus ad alia. Turpem esse in politico viro immoder-
ratam pecunia & cupiditatem supra sententia sapien-
tum diximus: neqz quisquam aliter pronunciat.
Alienus ergo Zitenius erat ab omni auncipatione
lucelli, sui sine sordibus seruans, de eodem sine pro-
fusione liberalis, magnificus etiam, ubi id rem po-
stulare iudicasset. In primis vero publica bona re-
ligiosa fide tractanda putabat, neqz ullo pacto in
priuatos ea conuertenda usus. Δωροφαγία magistra-
tui non solum fadam at turpem, sed ut iniusti abie-
cti qz animi notam prorsus auersabatur, indignum
iudicans, ut quem nulla vis, periculum, metus, odi-
um, ira, misericordia aut amor à recta iustitia nor-
ma auertere debeat, is se exiguo ære & paucis nu-
mulis expugnari sinat. Quin suas opes ipse prome-
bat, neqz sibi viuens sordide, & de sua copia deri-
uans in egentiores quantum satis esset: atqz etiam-
num, quamvis è viuis sublatus, benefacere non de-
sinit. Testamento enim multo ante mortem facto,
liberalitatis suæ fontem perennem fecit: neqz obstrue-
tur ille, quo ad publica salua erunt. Præterquam
enim quod in usus diuinos aliqua largitus est, fru-
untur eius munificentia pauperes, xenodochia, &
præterea etiam tenuiorum hominum filii & nubiles,

D 3 qua-

quarum, quæ probæ fuerint, commodi benignè pro-
spexit. Iis virtutibus eoq; animo cum esset, dignum
quoq; tali vita vitæ exitum inuenit. Quartanam
trium mensum grauem patienter tulit: cumq; tan-
dem morbum ingrauescere & vires pænè prostratas
esse sentiret, omnibus caducis rebus relictis, totum
sé ad speratam ex hac vita migrationem compone-
bat. Spe igitur, animi q; oculis in unicum seruatorem
defixis spiritū suum placidissimè reddidit anno post
partum virginis salutiferum 1584. III. Non. Ja-
nuarij: etatis vero sua LII. et consulatus VI. Pla-
cidè autem è vita eum migrasse dico; quod eum de-
cedere vix quisquam eorum, qui adstabant animad-
uerterat: ita ut verè non cruciatus, sed somnis fue-
rit mors illa, quam ita in vulgo appellamus; cum
potius sit calamitatum omnium finis & ad beatio-
rem vitam transitus. Atq; hac de optimi & præ-
stantissimi viri domini Christophori Zitenij lau-
dibus delibare hoc tempore volui: non quod eas
oratione me a secuturum confiderem, sed ut, quod o-
mnibus bonis sui reliquit desiderium, id non mi-
nus altè meo pectori insedisse ostenderem, &
debitam eius in me benevolentia per-
soluerem præmium.

MEMORIAE EIVSDEM
CARMEN BALTH. CAM.

Pro dolor, & nostræ fulcrum urbis, nomine ab
Gaudentis veteri Brenno, Zitenius heros (ipso
Parcarum expertus rabiem iam concidit ? omnes
Quod deflent Musæ, Phœbus quodq; improbat ipse.
Namq; audire mihi visus sum, voce minaci
Increpitasse deas, arcumq; intendere fortem.
Et causa est: etenim vera virtutis amator
Hic fuit eximus, constans, grauitate suavis,
Pacis amans, bellignarus. quid? quod sapienti
Nestor consilio facundo Tullius ore
Audijt. Hic, inquam, nunquam visendus ab ullo,
Occidit, & quem sex præclarè rexerat annos
Clavum urbis totos medio in discrimine, cunctas
Febrili exhaustus vires ardore, reliquit.

Exanimem luget Themidis legumq; sacerdos
Heinius, egregio hoc orbatus fratre, peremptum
Ægra animis plorat soror, ipsa oblita suorum
Atq; sui, siccis nec quisquam est uspiam ocellis.
Cognati, affines, & amici, curia, ciues
Certatim indulgent lachrymis, schola mœsta patro-
Nunc desiderat. haud etenim mollitur amaro (na
Trux Lachesis fletu. Et quando Zitenius ipse
Nullus expectat lachrymas (namq; inter olympi
Cultores genios fruitur iam pace frequenti

Quam

Quam toties gemitu in viuis optare solebat)
Mens quia cœlestis cœlo iam reddita, corpus
Terrenum matri terræ reddamus, ad astra
Tollentes animos. quid enim vita hæc? leuis vnlra
Et labor, & luctus, mors deniqz. qui bene mundo
Cedit, is aeternum viuit: quis cedere mundo
Addubit, cui sit concessum viuere cœlo?

INSCRIPTIO MONV. MENTI.

Quem magis extento fuerat fas viuere seculo
Christophorus tegitur terra hac Zitenius, ortu
Nobilis illustri, qui dextra clarus ad Oeni
Non tantum pontem fuit olim: ast tot superatis
Teutoniæ bellis, rapidum quoqz cessit ad Istrum
Christiadum pugnans contra hostem fortiter: unde
Munia magna gerens, Gallos bis strenuus acres
Accessit: Tandem plenis maturior annis
Se totum addixit patriæ, primumqz senator
Est designatus: dehinc quod grauis esset, & acri
Ingemo, prudens, constans facundus, & alto
Pectore magnanimus, consul delectus habens
Sex annis rexit patriæ: Nunc carcere liber
Terreno ducit cœlestis gaudia vitæ,
Gaudia presenti non visa, aut cognita mundo.

B. C.

153456

ULB Halle
002 677 407

3



VD 77

Communione. **S**icut omnes communione
Omnimicantes et noctem nesciunt dicere
natussumā celebrantes. quia beata
ne integrata virginitas. huic mundi
saluatori. **S**ed et memoriā uenerantur
nus eiusdem gloriosū sempiternū. misericordia
tristis. cuiusdam dei. et dñi nři ihu xpī. **S**ed et
torū apostolorū tuorū. **I**n eisdem iōnū.
Omnimicantes. et dicem sacramentum celebra-
tes. quo virginitus tuus in tua terrena gloria. pos-
tum in ueritate carnis nostre visibiliter caro alio
apparuit. **S**ed et memoriā **I**n eisdem iōnū.
Omnimicantes et dicem sacramentum celebra-
tes. quo dñs noster ihu xpī pio uobis est
Sed et memoriā. **E**piscopis igit oblatum.

Farbkarte #13

3.
DE LAVDIBVS
NOBILIS DN: CHRISTO:
PHORI ZITENII.

BALTHASARIS CAMINÆI
ORATIO.



ROSTOCHII

Ex Officina Augustini Ferberi Iunioris.

Anno M. D. LXXXVIII.